

# CONFESSIO FIDEI

exhibita

Inuictissimo Imperatori Carolo V. Caesari Augusto

in Comitiis Augustae

**Anno MDXXX.**

Ps. 119, 46: Loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum et non confundebar.

## Praefatio ad Caesarem Carolum V

- 1 Inuictissime Imperator, Caesar Auguste, Domine clementissime. Cum Vestra Caesarea  
Maiestas indixerit conuentum Imperii Augustae, ut deliberetur dē auxiliis contrā Turcam,  
atrocissimum, haereditarium atque ueterem Christiani nominis ac religionis hostem, quomo-  
do illius scilicet furor et conatibus durabili et perpetuo belli apparatu resisti possit, deinde  
et dē dissensionibus in causa nostrae sanctae religionis et Christianae fidei, et ut in hac cau-  
sa religionis partium opiniones ac sententiae inter sese in caritate, lenitate et mansuetudine  
mutua audiantur cōram, intelligentur et ponderentur, ut illis, quae utrimque in Scripturis se-  
cūs tractata aut intellecta sunt, sepositis et correctis, res illae ad unam simplicem ueritatem et  
Christianam concordiam componantur et reducantur; ut dē cetero a nōbīs una, sincera et uera  
religio colatur et seruetur, ut, quemadmodum sub uno Christo sumus et militamus, ita in una  
etiam ecclēsia Christiana in unitate et concordia uiuere possimus;
- 5 Cumque nos infra scripti Elector et Principes cum aliis, quī nōbīs coniuncti sunt, perinde  
ut alii Electores et Principes et Status ad praedicta [\*praefata] comitia euocati sumus [simus],  
ut Caesareo mandato obedienter obsequeremur, mature uenimus Augustam et, quod citra  
iactantiam dictum uolumus, inter primos affuimus.
- 6 Cum igitur V. C. M. Electoribus, Principibus et aliis Statibus Imperii etiam hic Augustae  
sub ipsa initia horum comitiorum inter cetera proponi fecerit, quod singuli statūs imperii ui-  
gōre Caesarei edicti suam opinionem et sententiam in Germanica et Latina lingua proponere  
7 debeant atque offerre; et habita deliberatione proxima feria quarta rursum responsum est, V.  
C. M. nos proxima feria sexta articulos nostrae confessionis prō nostra parte oblatus esse:  
8 ideo, ut V. C. M. uoluntati obsequiamur, offerimus in hac religionis causa nostrorum concio-  
natorum et nostram confessionem, cuiusmodi doctrinam ex Scripturis Sanctis et puro Verbo  
Dei hactenus illi in nostris terris, ducatis, ditionibus et urbibus tradiderint ac in ecclēsiis  
tractauerint.
- 9 Quodsi et ceteri Electores, Principes ac Status Imperii similibus scriptis, Latinis scilicet  
et Germanicis, iuxta praedictam Caesaream propositionem suas opiniones in hac causa reli-  
10 gionis produxerint: hic nos cōram V. C. M. tanquam domino nostro clementissimo paratos  
offerimus, nos cum praefatis Principibus et amicis nostris dē tolerabilibus modis ac uiis amice  
conferre, ut quantum honeste fierī potest, conueniamus, et re inter nos, partes, citra odiosam  
contentionem pacifice agitata, Deō dante, dissensio dirimatur et ad unam ueram concordem  
11 religionem reducatur; sicut omnes sub uno Christo sumus et militamus et unum Christum  
confiteri debemus, iuxta tenorem edicti V. C. M., et omnia ad ueritatem Dei perducantur, id  
quod ardentissimis uotis a Deō petimus.
- 12 Si autem, quod ad ceteros Electores, Principes et Status, ut partem alteram, attinet, haec  
tractatio causae religionis eo modo, quo V. C. M. agendum et tractandam sapient duxit, scilicet  
cum tali mutua presentatione scriptorum ac sedata collatione inter nos nōn processerit,

13 nec aliquo fructu facta fuerit: nos quidem testatum clare relinquimus, hic nihil nos, quod ad Christianam concordiam (quae cum Deō et bona conscientia fierī possit) conciliandam con-  
 14 ducere queat, ullo modo detrectare; quemadmodum et V. C. M., deinde et ceteri Electores et Status Imperii et omnes, quicunque sincere religionis amore ac studio tenentur, quicunque hanc causam aequo animo audituri sunt, ex hac nostra et nostrorum confessione hoc clementer cognoscere et intelligere dignabuntur.

15 Cum etiam V. C. M. Electoribus, Principibus et reliquis Statibus Imperii nō una uice, sed saepe clementer significauerit et in comitiis Spirensibus, quae anno Domini cet. XXVI. habita sunt, ex data et praescripta forma Vestrae Caesareae instructionis et commissionis recitari et publice praelegi fecerit: V. M. in hoc negotio religionis ex causis certis, quae V. M. nomine allegatae sunt, nō uelle quidquam determinare, nec concludere posse, sed apud Pontificem Romanum prō officio V. C. M. diligenter daturam operam dē congregando concilio generali. Quemadmodum idem latius expositum est ante annum in publico proximo conuentu, quī Spirae congregatus fuit. Vbi V. C. M. per Dominum Ferdinandum, Bohemiae et Vngariae Regem, amicum et dominum clementem nostrum, deinde per Oratorem et Commissarios Caesareos haec inter cetera proponi fecit, quod V. C. M. intellexisset et expendisset Locum tenentis V. C. M. in Imperio et Praesidentis et Consiliariorum in regimine et Legatorum ab aliis Statibus, quī, Ratisbonae conuenerant, deliberationem dē concilio congregando, et quod iudicaret etiam V. C. M. utile esse, ut congregaretur concilium, et quia causae, quae tum tractabantur inter V. C. M. et Romanum Pontificem, uicinae essent concordiae et Christianae reconciliationi, nō dubitaret V. C. M., quin Romanus Pontifex adduci posset ad habendum generale consilium: ideo significabat se V. C. M. operam daturam, ut praefatus pontifex maximus una cum V. C. M. tale generale consilium primo quoque tempore emissis litteris publicandum congregare consentire.

21 In euentum ergo talem, quod in causa religionis dissensiones inter nos et partes amice et in caritate nō fuerint compositae, tunc cōram V. C. M. hic in omni obedientia nos offerimus ex superabundanti comparituros et causam dicturos in tali generali, libero et Christiano concilio, dē quo congregando in omnibus comitiis imperialibus, quae quidem annis Imperii V. C. M. habita sunt, per Electores, Principes et reliquos Status Imperii semper concorditer actum et congruentibus suffragiis conclusum est. Ad cuius etiam generalis concilii conuentum, simul et ad V. C. M. in hac longe maxima et grauissima causa iam ante etiam debito modo et in forma iuris prouocauimus et appellauius. Cui appellationi ad V. C. M. simul et concilium adhuc adhaeremus, neque eam per hunc uel alium tractatum (nisi causa inter nos et partes iuxta tenorem Caesareae proximae citationis amice in caritate composita, sedata et ad Christianam concordiam reducta fuerit) deserere intendimus aut possumus; dē quo hic etiam solemniter et publice protestamur.

## ARTICVLI FIDEI PRAECIPVI

### Art. I. Dē Deō

- 1 Ecclēsiae magnō consensū apud nōs docent, dēcrētum Nicaenae synodī *dē unitāte essentiae dīuīnae et dē tribus persōnīs* uerum et sine ullā dubitatiōne crēdendum esse; uidēlicet, quod sit una essentia dīuīna, quae et appellātur et est Deus, aeternus, incorporeus, impartibilis, immensā potentia, sapientia, bonitāte, Creator et Conseruātor omnium rērum, uīsibilium et inuīsibilium; et tamen trēs sint persōnae eiusdem essentiae et potentiae, et coaeterne, Pater, Filius et Spīritus Sanctus. Et nōmine *persōnæ* ūtuntur eā significatiōne, quā ūsī sunt in hāc causā scriptōrēs ecclēsiasticī, ut significat nōn partem aut qualitātem in aliō, sed quod propriē subsistit.
- 5 Damnant omnēs haeresēs, contrā hunc articulum exortās, ut Manichaeōs, quī duo principia ponēbant, bonum et malum, item Valentīniānōs, Ariānōs, Eunomiānōs, Mahometistās et omnēs hōrum similēs. Damnant et Samosatēnōs, ueterēs et neōtericōs, quī, cum tantum unam persōnam esse contendant, dē Verbō et dē Spīritū Sanctō astūtē et impiē rhētoricantur, quod nōn sint persōnae distinctae, sed quod Verbum significet uerbum uōcāle et Spīritus mōtum in rēbus creātum.

### Art. II. Dē Peccāto Orīginis

- 1 Item docent, quod post lapsū Adae omnēs hominēs, secundum nātūram prōpāgātī, *nascantur cum peccātō*, hoc est, sine metū Deī, sine fiduciā ergā Deum et cum concupiscentiā, quodque hic *morbus seu uitium orīginis* uērē sit peccātum, damnāns et afferēns nunc quoque aeternam mortem hīs, quī nōn renascuntur per baptismum et Spīritum Sanctum.
- 3 Damnant Pelagiānōs et aliōs, quī uitium orīginis negant esse peccātum et, ut extenuent glōriam meritī et beneficiōrum Christī, disputant hominem prōpriis uīribus ratiōnis cōram Deō iustificārī posse.

### Art. III. Dē Filiō Deī

- 1 Item docent, quod *Verbum*, hoc est, *Filius Deī*, assūmserit *hūmānam nātūram* in uterō beātae Mariæ uirginis, ut sint duae nātūrae, dīuīna et hūmāna, in ūnitāte persōnae insēparābiliter coniunctae, ūnus Christus, uērē Deus et uērē homo, nātus ex uirgine Mariā, uērē passus, crucifixus, mortuus et sepultus, ut reconciliāret nōbīs Patrem et hostia esset nōn tantum prō culpā orīginis, sed etiam prō omnibus actuālibus hominum peccātīs.
- 4 Idem dēscendit ad inferōs et uērē resurrexit tertīā diē, deinde ascendit ad coelōs, ut sedeat ad dexteram Patris, et perpetuō rēgnet et dominētur omnibus creātūrīs, sanctificet crēdentēs in ipsum, missō in corda eōrum Spīritū Sanctō, quī regat, consolētur ac uiuifiet eōs ac dēfendat aduersus diabolum et uim peccāti.
- 6 Idem Christus palam est redditūrus, ut iūdicet uiuōs et mortuōs etc. iuxtā Symbolum

Apostolōrum.

#### **Art. IV. Dē Iustificatiōne**

1 Item docent, quod hominēs nōn possint *iūstificārī cōram Deō prōpriis uīribus, meritīs aut*  
 2 *operibus, sed grātīs iustificantur propter Christum per fidem*, cum crēdunt sē in grātiā recipī et  
 3 peccāta remittī propter Christum, quī suā morte prō nostrīs peccātīs satisfēcit. Hanc fidem  
*imputat* Deus prō iustitiā cōram ipsō, Rōm. 3 et 4.

#### **Art. V. Dē Ministeriō Ecclēsiasticō**

1 Vt hanc fidem consequāmur, *institūtum est ministerium docendī ēuangelī et porrigendī sa-*  
*crāmenta*. Nam per Verbum et sacrāmenta tamquam per instrūmenta dōnātur Spīritus Sanctus,  
 3 quī fidem efficit, ubī et quando uīsum est Deō, in iīs, quī audiunt ēuangelium, scilicet quod  
 Deus nōn propter nostra merita, sed propter Christum iustificet hōs, quī crēdunt sē propter  
 Christum in grātiā recipī.  
 4 Damnant Anabaptistās et aliōs, quī sentiunt Spīritum Sanctum contingere sine Verbō  
 externō hominibus per ipsōrum praeparatiōnes et opera.

#### **Art. VI. Dē Nouā Obēdientiā**

1 Item docent, quod *fides illa dēbeat bonōs fructūs parere*, et quod oporteat bona opera man-  
 data ā Deō facere propter uoluntātem Deī, nōn ut confidāmus per ea opera iustificatiōnem  
 2 cōram Deō merērī. Nam remissio peccātōrum et iustificatiō fidē apprehendit, sicut testātur  
 et uox Christī Lūc. 17, 10: *Cum fēceritis haec omnia, dīcite: Seruī inūtilēs sumus*. Idem docent  
 3 et ueterēs scriptōrēs ecclēsiasticī. Ambrosius enim inquit: *Hoc constitūtum est ā Deō, ut, quī*  
*crēdit in Christum, saluus sit sine opere, solā fidē grātīs accipiēns remissiōnem peccātōrum*.

#### **Art. VII. Dē Ecclēsiā**

1 Item docent, quod *ūna sancta ecclēsia* perpetuō mansūra sit. Est autem ecclēsia congregatiō  
 sanctōrum, in quā ēuangelium rectē docētur et rectē administrantur sacrāmenta.  
 2 Et ad ueram ūnitātem ecclēsiae satis est consentīre dē doctrinā ēuangelī et administratiōne  
 3 sacrāmentōrum. Nec necesse est ubīquē esse similēs trāditiōnēs hūmānās, seu rītūs aut cēre-  
 4 mōniās ab hominibus institūtās. Sicut inquit Paulus Eph. 4, 5. 6: *Ūna fides, ūnum baptisma,*  
*ūnus Deus et Pater omnium* etc.

#### **Art. VIII. Quid sit Ecclēsia**

1 Quamquam *ecclēsia* propriē sit congregatiō sanctōrum et uērē crēdentiū, tamen, cum in  
 hāc uītā multī hypocritae et malī admixtī sint, licet ūti sacrāmentīs, quae per malōs admini-  
 2 strantur, iuxtā uōcem Christī Matth.23, 2: *Sedent scribae et Pharisei in cathēdrā Moysis* etc. Et  
 sacrāmenta et Verbum propter ordinatiōnem et mandātum Christī sunt efficācia, etiamsi per  
 malōs exhibeantur.

- 3 Damnant Dōnatistās et similēs, quī negābant licere ūti ministeriō malōrum in ecclēsiā, et sentiēbant ministerium malōrum inūtile et inefficax esse.

### **Art. IX. Dē Baptismō**

- 2 Dē *baptismō* docent, quod sit necessārius ad salūtem, quodque per baptismum offerātur grātia Deī, et quod puerī sint baptizandī, quī per baptismum oblātī Deō recipiantur in grātiam Deī.
- 3 Damnant Anabaptistās, quī improbant baptismum puerōrum et affirmant puerōs sine baptismō saluōs fierī.

### **Art. X. Dē Coenā Domini**

- 1 Dē *coenā Domini* docent, quod corpus et sanguis Christī uērē adsint et distribuāntur 2 uescentibus in coenā Domini; et improbant secus docentēs.

### **Art. XI. Dē Confessiōne**

- 1 Dē *confessiōne* docent, quod absolūtio priuāta in ecclēsiis retinenda sit, quamquam in 2 confessiōne nōn sit necessāria omnium dēlictōrum ēnumerātio. Est enim impossibilis iuxta Psalmum 19, 13: *Dēlicita quis intelligit?*

### **Art. XII. Dē Poenitentiā**

- 1 Dē *poenitentiā* docent, quod lapsīs post baptismum contingere possit remissio peccātōrum 2 quōcunque tempore, cum conuertuntur, et quod ecclēsia tālibus redeuntibus ad poenitentiām absolūtiōnem impertīrī dēbeat. Constat autem poenitentia propriē hīs duābus partibus. 4 Altera est contrītio seu terrōrēs incussī conscientiae agnitō peccātō; altera est fides, quae con- 5 cipitur ex ēuangeliō seu absolūtiōne, et crēdit propter Christum remittī peccāta, et consolātur 6 conscientiam et ex terrōribus liberat. Deinde sequī dēbent bona opera, quae sunt fructus poenitentiae.

- 7 Damnant Anabaptistās, quī negant semel iustificātōs posse āmittere Spīritum Sanctum; 8 item, quī contendunt, quibusdam tantam perfectiōnem in hāc uītā contingere, ut peccāre nōn possint.

- 9 Damnantur et Nouātiāni, quī nolēbant absoluere lapsōs, post baptismum redeuntēs ad poenitentiām.

- 10 Rēciuntur et istī, quī nōn docent remissiōnem peccātōrum per fidem contingere, sed iubent nōs merērī grātiam per satisfactiōnēs nostrās.

### **Art. XIII. Dē Ūsū Sacrāmentōrum**

- 1 Dē *ūsū sacrāmentōrum* docent, quod sacrāmenta instituta sint, nō modo ut sint nōtae professiōnis inter hominēs, sed magis ut sint signa et testimōnia uoluntātis Deī ergā nōs, ad 2 excitandam et confirmandam fidem in hīs, quī ūtuntur, prōposita. Itaque ūtendum est sacrā-

mentis ita, ut fides accedit, quae creditat promissionibus, quae per sacramenta exhibentur et ostenduntur.

- 3 Damnant igitur illos, qui docent, quod sacramenta ex opere operato iustificant, nec docent fidem requiri in usum sacramentorum, quae creditat remitti peccata.

#### **Art. XIV. De Ordine Ecclesiasticō**

Dē ordine ecclesiasticō docent, quod nēmō dēbeat in ecclēsiā pūblicē docēre aut sacramenta administrare, nisi rīte uocatus.

#### **Art. XV. De Rītibus Ecclesiasticīs**

- 1 Dē rītibus ecclesiasticīs docent, quod, rītūs illī seruandī sint, qui sine peccātō seruārī possunt et prōsunt ad tranquillitātem et bonum ordinem in ecclēsiā, sicut certae feriae, festa et similia.  
 2 Dē tālibus rēbus tamen admonentur hominēs, nē conscientiae onerentur, tamquam tālis cultus ad salūtem necessārius sit.  
 3 Admonentur etiam, quod trāditiōnēs hūmānae institūtae ad plācandum Deum, ad prōmerendam grātiā et satisfaciendum prō peccātīs aduersentur ēuangeliō et doctrīnae fidei; quārē uāta et trāditiōnēs dē cibīs et diēbus etc. institūtae ad prōmerendam grātiā et satisfaciendum prō peccātīs inūtilēs sint et contrā ēangelium.

#### **Art. XVI. De Rēbus Ciuīlibus**

- 2 Dē rēbus ciuīlibus docent, quod lēgitimae ordinatiōnēs ciuīlēs sint bona opera Deī, quod Christiānīs liceat gerere magistrātūs, exercēre iūdicia, iūdicāre rēs ex imperātōriis et aliīs praesentibus lēgibus, supplicia iūre constituere, iūre bellāre, militāre, lēge contrāhere, tenēre proprium, iusiūrandum postulantibus magistrātibus dāre, ducere uxōrem, nūbere.  
 3 Damnant Anabaptistās, qui interdicunt haec ciuīlia officia Christiānīs.  
 4 Damnant et illōs, qui ēangelicam perfectiōnem nōn collocant in timōre Deī et fidē, sed  
 5 in dēserendīs ciuīlibus officiīs, quia ēangelium tradit iustitiam aeternam cordis. Interim nōn dissipat politiā aut oeconomiam, sed maximē postulat conseruāre tamquam ordinatiōnēs Deī  
 6 et in tālibus ordinatiōnibus exercēre caritātem. Itaque necessāriō dēbent Christiānī obēdīre  
 7 magistrātibus suīs et lēgibus; nisi cum iubent peccāre, tunc enim magis dēbent obēdīre Deō quam hominibus. Act. 5, 29.

#### **Art. XVII. De Christī Reditū ad Iūdiciū**

- 1 Item docent, quod *Christus apparēbit in consummatiōne mundi ad iūdicandum*, et mortuōs  
 2 omnēs resuscitābit, piīs et électīs dābit uītam aeternam et perpetua gaudia, 3] impiōs autem hominēs ac diabolōs condemnābit, ut sine fine crucientur.  
 3 Damnant Anabaptistās, qui sentiunt hominibus damnatīs ac diabolīs finem poenārum futūrum esse.

4 Damnant et aliōs, quī nunc spargunt Iudaīcās opīniōnēs, quod ante resurrectiōnem mortuōrum piī rēgnū mundī occupātūrī sint, ubīquē oppressīs impiīs.

### Art. XVIII. Dē Līberō Arbītriō

1 Dē *lībero arbītriō* docent, quod hūmāna uoluntas habeat aliquam libertātem ad efficiendam  
 2 cūilem iustitiam et dēligendās rēs ratiōni subiectās. Sed nōn habet uim sine Spīritū Sanctō  
 3 efficiendae iustitiae Deī seu iustitiae spīrituālis, quia animālis homo nōn percipit ea, quae sunt  
 4 Spīritus Deī, 1 Cor. 2, 14; sed haec fit in cordibus, cum per Verbū Spīritus Sanctus con-  
 5 cipitur. Haec totidem uerbīs dīcit Augustīnus lib. III. *Hypognosticon: Esse fatēmur līberum*  
*arbītrium omnibus hominibus, habēns quidem iūdīcum ratiōnis, nōn per quod sit idōneum in iīs,*  
*quae ad Deum perteṇt, sine Deō aut inchoāre aut certē peragere, sed tantum in operib⁹ uītae*  
*praeſentis, tam bonis quam etiā malis. Bonis dīcō, quae dē bonō nātūrae oriuntur, id est, uelle*  
*labōrare in agrō, uelle mandūcāre et bibere, uelle habēre amīcum, uelle habēre indūmenta, uelle*  
*fabricāre dēnum, uxōrem uelle dūcere, pecora nūtrire, artem discere diuersōrum rērum bonārum,*  
*uel quidquid bonum ad praeſentem perteṇt uītam. Quae omnia nōn sine diuīnō gubernāculō sub-*  
*sistunt, īmo ex ipso et per ipsum sunt et esse coepērunt. Malis uērō dīcō, ut est uelle īdōlūm colere,*  
*uelle homicidium etc.*

8 Damnant Pelagiānōs et aliōs, quī docent, quod sine Spīritū Sanctō sōlis nātūrae uīribus possimus Deum super omnia diligere, item praecepta Deī facere quoad substantiam actuum.

9 Quamquam enim externa opera aliquō modō efficere nātūra possit (potest enim continēre manūs ā furtō, ā caede), tamen interiōrēs mōtūs nōn potest efficere, ut timōrem Deī, fidūciam ergā Deum, castitātem, patientiam etc.

### Art. XIX. Dē Causā Peccātī

Dē *causā peccātī* docent, quod, tametsi Deus creat et conseruat nātūram, tamen causa peccātī est uoluntas malōrum, uidēlicet diabolī et impiōrum, quae, nōn adiuuānte Deō, āuertit sē ā Deō, sicut Christus ait Ioh. 8, 44: *Cum loquitur mendācium, ex sē ipsō loquitur.*

### Art. XX. Dē Bonis Operibus

2 Falsō accūsantur nostrī, quod *bona opera* prohibeant. Nam scripta eōrum, quae exstant dē decem praeceptī, et alia simili argūmentō testantur, quod ūtiliter docuērint dē omnibus uītae  
 3 generibus et officiīs, quae genera uītae, quae opera in quālibet uocātiōne Deō placeant. Dē quibus rēbus oīlim parum docēbant conciōnātōrēs, tantum puerilia et nōn necessāria opera urgēbant, ut certās fēriās, certa iēiūnia, frāternitātēs, peregrinātiōnēs, cultūs sanctōrum, rosāria,  
 4 monachātūm et similia. Haec aduersāriī nostrī admonitī nunc dēdiscunt, nec perinde prae-  
 5 dicant haec inūtilia opera ut oīlim. Praetereā incipiunt fideī mentiōnem facere, dē quā oīlim  
 6 mīrum erat silentium. Docent nōs nōn tantum operibus iustificārī, sed coniungunt fidem et

- 7 opera, et dicunt nōs fide et operibus iustificārī. Quae doctrīna tolerābilior est priōre, et plūs afferre potest consolatiōnis quam uetus ipsōrum doctrīna.
- 8 Cum igitur *doctrīna dē fide*, quam oportet in ecclēsiā praecipuam esse, tamdiū iacuerit ignōta, quemadmodum fatērī omnēs necesse est, dē fideī iustitiā altissimum silentium fuisse in conciōnibus, tantum doctrīnam operum uersātam esse in ecclēsiīs, nostrī *dē fide* sīc admonuērunt ecclēsiās:
- 9 Principiō, quod opera nostra nō possint reconciliāre Deum, aut merērī remissiōnem peccātōrum et grātiām et iustificatiōnem, sed hanc tantum fide consequimur, crēdentēs, quod propter Christum recipiāmur in grātiām, quī solus positus est mediātor et propitiātorium, per
- 10 quem reconciliētur Pater. Itaque quī confidit operibus sē merērī grātiām, is aspernātur Christī meritum et grātiām, et quaerit sine Christō hūmānīs uīribus uiam ad Deum, cum Christus dē sē dīxerit Ioh. 14, 6: *Ego sum uia, ueritas et uīta.*
- 11 Haec doctrīna dē fide ubiqū in Paulō tractātur; Eph. 2, 8: *Gratia saluī factī estis per fidem, et hoc nōn ex uōbis, Dei dōnum est, nōn ex operibus etc.*
- 12 Et nē quis cauillētur ā nōbīs nouam Paulī interpretatiōnem excōgitārī, tota haec causa
- 13 habet testimōnia patrum. Nam Augustīnus multīs uolūminibus dēfendit grātiām et iustitiām
- 14 fideī contrā merita operum. Et similia docet Ambrosius [Prosper Aquitānus] *Dē Vocatiōne Gentium* et alibī. Sīc enim inquit *Dē Vocatiōne Gentium*: *Vilesceret redemptio sanguinis Christī, nec misericordiae Dei hūmānōrum operum praerogatiua succumberet, si iustificatiō, quae fit per grātiām, meritīs praecēdētibus dēberētur, ut nōn munus largientis, sed mercēs esset operantis.*
- 15 Quamquam autem haec doctrīna contemnitur ab imperitīs, tamen experiuntur piae ac pauidae conscientiae plūrimū eam consolatiōnis afferre, quia conscientiae nō possunt reddī tranquillae per ulla opera, sed tantum fide, cum certō statuunt, quod propter Christum habeant
- 16 placātum Deum, quemadmodum Paulus docet Rom. 5, 1: *Iustificatiō per fidem, pacem habēmus apud Deum.* Tota haec doctrīna ad illud certāmen perterrefactae conscientiae referenda est, nec
- 17 sine illō certāmine intelligī potest. Quārē male iūdicant dē eā rē hominēs imperitī et profānī,
- 18 quī Christiānam iustitiā nihil esse somniant nisi cūilem et philosophicam iustitiām.
- 19 Ōlim uexābantur conscientiae doctrīnā operum, nōn audiēbant ex ēuangeliō consolatiō-
- 20 nem. Quōsdam conscientia expulit in dēsertum, in monastēria, spērantēs ibi sē grātiām meri-
- 21 tūrōs esse per uītam monasticam. Aliī alia excōgitāuērunt opera ad prōmerendam grātiām et
- 22 satisfaciendum prō peccātīs. Ideo magnopere fuit opus hanc doctrīnam dē fide in Christum tradere et renouāre, nē dēesset consolatiō pauidīs conscientiīs, sed scīrent, fide in Christum apprehendī grātiām et remissiōnem peccātōrum et iustificatiōnem.
- 23 Admonentur etiam hominēs, quod hīc nomen fideī nō significat tantum historiae nōti-
- tiam, quālis est in impiīs et diabolō, sed significet fidem, quae crēdit nō tantum historiam, sed etiam effectum historiae, uidēlicet hunc articulum, remissiōnem peccātōrum, quod uidēlicet per Christum habēamus grātiām, iustitiām et remissiōnem peccātōrum.

24 Iam quī scit sē per Christum habēre propitium Patrem, is uērē nōuit Deum, scit sē eī cūrae  
 25 esse, inuocat eum, dēniquē nōn est sine Deō, sicut gentēs. Nam diabolī et impīi nōn possunt  
 hunc articulum crēdere: remissiōnem peccātōrum. Ideo Deum tamquam hostem ūdērunt,  
 26 nōn inuocant eum, nihil bonī ab eō exspectant. Augustīnus etiam dē fideī nōmine hōc modō  
 admonet lectōrem et docet in Scriptūris nōmen fideī accipī nōn prō notitiā, quālis est in impīis,  
 sed prō fidūciā, quae consolātur et ērigit perterrefactās mentēs.

27 Praetereā docent nostrī, quod necesse sit bona opera facere, nōn ut confidāmus per ea  
 28 grātiā merērī, sed propter uoluntātem Deī. Tantum fide apprehenditur remissio peccātōrum  
 29 ac grātia. Et quia per fidem accipitur Spīritus Sanctus, iam corda renouantur et induunt nouōs  
 30 affectūs, ut pārēre bona opera possint. Sīc enim ait Ambrosius [*Dē Vocātiōne Gentium*]: *Fides*  
 31 *bonae uoluntatis et iustae actionis genitrix est*. Nam hūmānae uīrēs sine Spīritū Sanctō plēnae  
 sunt impīis affectibus et sunt imbēcilliōrēs, quam ut bona opera possint efficere cōram Deō.  
 32 Adhaec sunt in potestāte diaboli, quī impellit hominēs ad uaria peccāta, ad impīas opīniōnēs, ad  
 33 manifesta scelera; quemadmodum est uidēre in philosophīs, quī et ipsī cōnāti honestē uīuere,  
 34 tamen id nōn potuērunt efficere, sed contāminātī sunt multī manifestī sceleribus. Tālis est  
 imbēcillitas hominis, cum est sine fide et sine Spīritū Sanctō et tantum hūmānīs uīribus sē  
 gubernat.

Hinc facile appāret, hanc doctrīnam nōn esse accūsandam, quod bona opera prohibeat,  
 sed multō magis laudandam, quod ostendit, quōmodo bona opera facere possimus. Nam sine  
 fide nullō modō potest hūmānā nātūrā pīmī aut secundī praeceptī opera facere. Sine fide  
 nōn inuocat Deum, ā Deō nihil exspectat, nōn tolerat crucem, sed quaerit hūmāna praesidia,  
 confidit hūmānīs praesidiīs. Ita rēgnant in corde omnēs cupiditātēs et hūmāna consilia, cum  
 abest fides et fidūcia ergā Deum. Quārē et Christus dīxit: *Sine mē nihil potestis facere*, Ioh. 15,  
 5. Et ecclēsia canit:

Sine tuō nūmine  
 nihil est in homine,  
 nihil est innoxium.

## Art. XXI. Dē Cultū Sanctōrum

1 Dē cultū sanctōrum docent, quod memoria sanctōrum prōpōnī potest, ut imitēmur fidem  
 eōrum et bona opera iuxtā uocātiōnem, ut Caesar imitārī potest exemplum Dauidis in bellō  
 2 gerendō ad dépellendōs Turcās ā pātriā. Nam uterque rex est. Sed Scriptūra nōn docet inuocārē  
 3 sanctōs, seu petere auxilium ā sanctīs, quia unum Christum nōbīs prōpōnit mediātōrem,  
 propitiātōrium, pontificem et intercessōrem. Hic inuocandus est, et prōmisit sē exauditū-  
 rum esse precēs nostrās, et hunc cultum maximē probat, uidēlicet ut inuocētur in omnibus  
 4 afflictōnibus. 1 Ioh. 2, 1: *Si quis peccat, habēmus aduocātūm apud Deum* etc.

1 Haec ferē summa est doctrīnae apud nōs, in quā cernī potest nihil inesse, quod discrepet  
ā Scriptūrīs, uel ab ecclēsiā catholicā, uel ab ecclēsiā Rōmānā, quātenus ex scriptōribus nota  
est. Quod cum ita sit, inclēmenter iūdicant istī, quī nostrōs prō haereticīs habērī postulant.  
2 Sed dissensio est dē quibusdam abūsibus, quī sine certā auctōritāte in ecclēsiās irrepseunt,  
in quibus etiam, si quā esset dissimilitūdo, tamen decēbat haec lēnitas epīscopōs, ut propter  
confessiōnem, quam modo recensuimus, tolerārent nostrōs, quia nē canonēs quidem tam dū-  
rī sunt, ut eōsdem rītūs ubīquē esse postulent, neque similēs unquam omnium ecclēsiārum  
4 rītūs fuērunt. Quamquam apud nōs magnā ex parte ueterēs rītūs dīligenter seruantur. Falsa  
enim calumnia est, quod omnēs cēremōniae, omnia uetera institūta in ecclēsiīs nostrīs abo-  
5 leantur. Verum pūblica querēla fuit abūsūs quōsdam in uulgāribus rītibus haerēre. Hī, quia  
nōn poterant bona conscientia probārī, aliquā ex parte correctī sunt.